

8. Sigmund nimmt das Kloster Pegau in seinen und des Reiches Schutz und bestätigt die alten Rechte, Freiheiten und Privilegien, besonders aber das eingerückte Karls IV. (fol. 463'). 1414 November 8 — 1416 — Constanz (?).

In nomine sancte et individue trinitatis, feliciter amen. Sigismundus dei gratia etc. notificamus etc. ad perpetuam rei memoriam. Inter varias rei publice curas, quibus cor nostrum cottidiana sollicitudine pro subditorum salute distrahitur, ad illud precipue aciem nostre mentis convertimus et sedulum destinamus affectum, qualiter venerandas ecclesias et personas ecclesiasticas celesti imperatori mancipatas obsequiis pie protegamus desideriis ac libertates eorum continuis benignitatis¹ favoribus foveamus, nunc novas libertates et gratias largiendo, nunc pro qualitate temporum veteres innovando. Sane religiosorum abbatis et conventus monasterii Pigaviensis ordinis sancti Benedicti Merseburgensis diocesis devotorum nobis dilectorum oblata nostro culmini petitio continebat, quatenus de solite benignitatis clementia ipsos et iam dictum monasterium ac eorum homines subditos villas curtes curias res atque bona et presertim ipsum locum in Pigavia, villas Libenham et Monem cum universis eorum iurisdictionibus iudiciis hominibus servis agris pratis pascuis domibus nemoribus virgultis aquis aquarum[ve] decursibus piscationibus venationibus decimis usibus censibus redditibus emolumentis et aliis rebus et bonis suis et pertinentiis quibuslibet, sicut hec omnia rite obtinuerunt et possederunt necnon presentialiter, prout asserunt, tenent et possident, in nostram et imperii nostri protectionem defensionem et salvamguardiam gratiose suscipere ac ipsis omnia et singula iura gratias libertates possessiones immunitates donationes et indulta litteras et privilegia, que et quas a divis Romanorum imperatoribus et regibus nostris in imperio predecessoribus, et signanter quandam litteram seu privilegium, quam a felicis (f. 464) recordationis Karolo quarto Romanorum imperatore et Bohemie rege domino et genitore nostro carissimo obtinuisse noscuntur, approbare ratificare innovare de novo concedere et confirmare gratiosius dignaremur. Cuius quidem littere sive privilegii tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis: 'In nomine sancte et individue trinitatis etc.'². Nos igitur dicti genitoris nostri et aliorum nostrorum in imperio predecessorum laudabilibus semper cupientes inherere vestigiis ad instantem etiam supplicationem dictorum abbatis et conventus, que ex fonte videtur procedere rationis, presertim cum iusta petentibus non est denegandus assensus, ipsos abbatem et conventum et ipsorum successores cum universis ipsorum hominibus familiaribus personis iuribus pos-

1) cod.: 'benignitatibus'.

2) Ist bis auf diese Worte uns verloren.